

privacione etiã ut contrario aliquid fieri dicitur, ut ex paupere dives, ex viduo maritus, &c. Item ex contraria forma vel figurã dicitur fieri contraria, ut ex figura rotundã angularis, ex forma ovi forma pulli: ex materiã quidẽ per se, ex contrario autẽ & privacione, quæ sunt in materiã, per accidens, unde etiã privatio materia per accidens dici potest: vel ut ex actu rei, sic ex forma ut actu & materia, ut subjecto, fit & constat res genita, ut ex animã & corpore animatum, ex materia & forma pulli fit & constat pullus. *Conf. 1. phys. c. 7. (8)*

15. Hæc ad elemẽta applicari possunt. Scil: elemẽtũ unũ fit ex materiã alterius, tanq. subjecto inexistente & diversarum formarũ receptivo, quod modò est sub hujus, modo alterius elemẽti formã. Nec obstat materiã per se esse immutabilẽ, hoc enim in omni generatione necessũ est, ut materia tanquã commune subjectum maneat, formæ vero in materia fiant & intereant. Imò hoc ad rationẽ materiæ pertinet, ut maneat in re quæ ex illa facta dicitur, & nihilominus ex materia aliquid fieri dicimus: Sicut lignũ est & manet in statua, cera in globocereo, quæ tamẽ ex ligno & cera ut materiã omnino facta dicuntur: Sufficit si materia ratione formæ contrariæ vel privationis, quæ est in materia, adeoq; per accidens, sit mutabilis, ita enim diversorum fiet materia. Deinde ex forma elementi unius etiã dici potest fieri elemẽtũ alterũ, ut ex contrario vel intermedio, ut si ex aqua fiat aër, ex frigido fit calidũ, si ex aère ignis, ex minus calido magis calidũ &c. Deniq; ex formã propriã ut actu, & ex materiã ut subjecto, quodvis elemẽtum fieri & constare dicitur. Neq; enim ex materia tantũ aliquid fieri dicitur, sed quod ex aliquo ut subjecto inexistente sit, fit dicitur ex materia fieri, præter hunc verò modũ etiã alij dantur, quod alibi declaratur. Breviter: sicut ex globo cereo dicitur fieri tessera, ex cera sc. per se ut subjecto, quod prius fuit sub forma globi, modò autem est sub forma tesserae, ex globo sc. figura globi per accidens, ut ex contrario, ex tessera autem figura per se ut actu: ita dici potest ex aqua v. g. fieri aërem, ex materiã aquæ per se, ut subjecto, quod prius fuit sub forma aquæ, modò autem est sub formã aeris, ex formã aquæ, per accidens, ut ex contrario, ex forma verò aeris per se, ut actu. Quæ quidem omnia facile intelliguntur. Aliæ objectiones aut principium petunt, ut si quis dicat: nullum corpus mutari, vel etiam nullum corpus simplex mutari, & per consequ. nec elementaa: ut ex dictis, aliisq; fallaciis facile solvuntur.